



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Rembertvs Ep. 4. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

pulchrè sanguine miscuerunt. At BLASIVS undis, quibus mergendus erat, ancillantibus usus, lacum primò non aliter ac pontem perambulavit, dein velut fessus molliter in medio aquarum consedit; haustus interim vortice LXVIII. viris, qui Deorum suorum fiduciã idem agere tentãrant. Tandem cum geminis unius ex septem, de quibus dixeramus, matronæ filiolis, lictori cervicem præbuit. Quibus è vulneribus plus gloriæ quàm sanguinis manavit. *Ex Surio.*

*Sine ferro Martyr esse poteris, si patientiã in animo veraciter conservaveris: Non pacificus consortiũ non merebitur Angelorum; Lividus & iracundus erit particeps Damoniorum. S. Bern. Mod. bene viv. c. 40.*

S. REMBERTVS EP. 4. Februarij.

**T**antum REMBERTVS apud Deum poterat, ut Sacerdos piacularibus flammis addictus eum patronum expeteret: ut minùs mirère, si, quod in infernos ignes habuit imperium; Antistes Bremensis factus in eorum etiam inquilinum malum genium exercuit. Infederat hic Carolum Crassum postea Imperatorem, universoque regno & Ludovico patri luctuosum dederat spectaculum. Frustrà per Divorum tumulos circumducebatur, frustra carmina devotoriã adhibita, donec REMBERTVS larvis filium, & patrem sollicitudine liberavit. Carolus memor bello nuper patrem se petiisse, falsus ingenuè est, non tunc primùm se diris esse agitatum, sed quoties infestandi patris consilia cepisset; ut intelligant, qui in parentes insurgunt, quo consiliario rem gerant, quin imò jam

jam animos orco hospite possideri, quibus amor in parentes est pulsus. Ceterum REMBERIVM patrem pauperes suum jam dudum vocabant, ut qui in eorum usum oculos semper circumferret. Certè in captivos non suos modò, sed etiam sacros thesauros dilapidavit, præclaram mercaturam existimans, auro animas emere. Vectoriam contra Normannos precibus suis alter Moses impetravit, fuitque deinceps locus ille, in quo oraverat, semper cespite virenti lætus: puto ne unquam civibus obsidione liberatis deesset unde coronam sospitatori suo necerent. *Ex Suvio.*

*Auelle à Sole Solis radium, & non lucet; membrum à corpore, & putrescit: separa filium à devotione paterna, & jam non est filius, sed frater & collega illorum de quibus dicitur: Vos ex patre diabolo estis. S. Pet. Chrysol. in serm.*

S. THEOPHILVS CONF. 4. Februarj.

**O** Semper insidiosa demissis animis ambitio! THEOPHILVS ille, qui insulam ultrò oblatam ultrò rejecerat, mox officio æconomi ab amulis se dejici usque adedò indignatus est, ut excire in auxilium orcum non vereretur. Ergo ad magum, cum hoc ad juratum humani generis hostem curritur: Deum Deique Matrem ejurare non titubat: lingua impudens, non erubescit scripto firmare calamus impius, sustinet obfirmare fœdus infandum gemma perfida: verbo, IESV ac Mariæ nuper libertus, dæmonis abit mancipium. Sed sequitur & nocentem conscientia flagellat, quin honori jam suo restitutum acrius etiam torquet. Quid faceret? quò fugeret impius transfuga? ad magnæ matris ubera,